

que illam esse in genere, hanc in specie. Est nempe *aptitudo positiva*, qua universale natura sua expostulat, ut ad plura *actu referri intelligatur*: *Negativa autem*, qua universale indifferens est ut ad unum, aut plura referri intelligatur, nempe, licet per se aptum sit inesse multis, et de multis praedicari, tamen nihil prohibet quominus ipsum ad unum referri intelligatur.

XI. IN GENERE LATENT AEQUIVOCATIONES. Non quidem propter ipsum genus, quasi genus sit aequivocum, nam genus secundum se ab omnibus speciebus aequaliter participatur¹; sed propter differentias contrahentes genus, quae, cum constituant diversas species inaequalis perfectionis, videntur esse causa aequivocationis. Sic animal nobiliori modo reperitur in homine, quam in equo. Unde *aequivocationis* nomine hic *aequivocatio physica et improbia* venit, non autem *dialectica*, quae proprie *aequivocatio* est².

XII. GENERUM NON SUBALTERNATIM POSITORUM DIVERSAE SUNT SPECIE DIFFERENTIAE. Genera *non subalternatim posita* sunt genera diversorum praedicamentorum, ut animal, quod ad praedicamentum substantiae, et numerus, qui ad praedicamentum quantitatis pertinet. Iam huiusmodi genera nullam differentiam sive *constitutivam*, sive *divisivam*³ participant; e. g., aliis differentiis constitutur et dividitur animal, aliis scientia. Genera autem subalternatim posita vel sunt huiusmodi, ut ad idem pertineant praedicamentum, et unum sit sub altero, uti animal, vivens, corpus; vel sub eodem sunt praedicamento, sive superiori genere, sed unum non est sub altero, uti animal gressibile, et animal volatile, siquidem utrumque animali subiicitur, sed non unum alteri; item, potentia et figura, quae sub genere qualitatis sunt, non tamen una sub altera. Si primum, tunc genus inferius omnes amplectitur differentias *constitutivas* generis superioris, et etiam aliquam *divisivam*⁴. Sin alterum, tunc unum ex iis generibus aliquando habet aliquam differentiam *divisivam* alterius, puta *bipes* est differentia tum gressibilis, tum volatile animalis, at non semper; e. g., Angelus, et corpus eamdem differentiam *divisivam* non habent.

¹ Vid. s. Thom., *Qq. disp. De Pot.*, q. VII, a. 3 ad 6,
² Vid. p. 109.—³ Vid. p. 96.—⁴ Ibid.

DISTINCTIONES

I. HABITUS — DISPOSITIO. Tum *habitus*, tum *dispositio* sunt qualitates, quae subiecto inhaerent, atque efficiunt, ut ipsum sive in se, sive in suis operationibus bene vel male se habeat. Discremen inter istam, et illum in eo consistit, quod *habitus* sit qualitas immobilibus principiis innixa, atque natura sua firmiter inhaerens subiecto; *Dispositio* vero est qualitas ex natura sua facile mobilis, id eoque leviter inhaerens subiecto. « *Habitus*, inquit Aristoteles, ab affectione differt, quia est res diuturnior, et permanentior¹ ». E. g., scientia, virtus etc. sunt qualitates ex sui natura firmissimae, cum illa principiis necessario veris, ista bono honesto, quod est immutable, initatur. Hae proinde qualitates vocantur *habitus*². E contrario, suspicio, dubium, opinio et alia huiusmodi sunt *dispositiones*, quia levibus et facile mobilibus fundamentis innituntur; ex quo fit, ut sine labore removeri possint a subiecto. Similiter, sanitas et morbus sunt *dispositiones*, gignuntur enim ex levibus principiis, nempe ex concordia vel perturbatione humorum, quae facile mutari potest. Haec p[ro]ae oculis habenda sunt, si *habitus* et *dispositionis* ipsa natura inspiciatur. At si conditio subiecti, cui qualitates istae inhaerent, attendatur, contingere potest, ut *dispositio* migret in *habitu*, eodem fere modo, quo puer fit vir. Id porro evenit, cum qualitas ex natura sua facile mobilis adeo firmas in subiecto agit radices, ut ab illo divelli vix possit, puta, sanitas huiusmodi, quae nullis vitae incommodis possit expugnari, atque febris, quae in tabido ita profunde medullas penetrat, ut nullo medicamine vinci possit. Idem locum habet quoad errorem et opinionem, quae aliquando tam pertinaciter adhaerent intellectui, ut nullis rationibus dimoveri possint³. E contrario, contingere potest, ut qualitas ex na-

¹ *Categ.*, lib. I, c. 5.

² « *Scientia habitus* est in seipso ratam habens certitudinem, nec ulla ratione mutabilis est »; s. Basil., *Comm. in cap. V Isai. Prophetae*

³ « *Haec ipsa quoque, puta morbus, sanitas, ac similia, si diutur*

tura sua immobilis, ideoque ad habitum pertinens ob imbecillitatem subiecti, in quo est, aequivaleat dispositioni, e. g., amor in Deum, quo nil fortius esse potest, ob hominis instabilitatem saepe extinguitur: item, licet nihil firmius sit scientia et virtute, tamen utraque in tyrone facile mobilis est¹.

Ad haec, *dispositio* alia etiam significat, puta quamvis constitutionem rei: sic *dispositio* corporis humani ea est, ut caput sit supra humeros; vel quamvis praeparationem sive ad agendum, sive ad aliquid recipiendum; vel rationem ordinis rerum in finem, aut partium in toto. Item, habitus etiam alia denotat, relationem nempe corporis ad vestes et ornamenta, quatenus ipsis induitur, ut esse togatum, armatum etc., atque hoc sensu constituit ultimum praedicamentum; vel relationem cuiusque habiti ad habentem, quo sensu constituit ultimum *post-praedicamentum*².

II. HABITUS ENTITATIVUS — HABITUS OPERATIVUS. *Habitus*, qui subiectum bene vel male afficit quoad ipsum esse, dicitur *entitativus*, cuiusmodi sunt pulcritudo et deformatas in vultu. *Habitus* vero, quo subiectum aptum redditur ad bene, vel male agendum, nempe, ut ait s. Thomas, secundum convenientiam, vel secundum disconvenientiam ad naturam³, vocatur *operatus*, puta ars, scientia, virtus, vitium etc. Ille *dispositio ad naturam ordinata*; iste *dispositio ad operationem* vocatur. Huiusmodi distinctio locum babet etiam quoad dispositionem; siquidem « nihil aliud est dispositio, quam *habitus incompletus*⁴».

Ex allata distinctione probat s. Thomas peccatum originale esse habitum non altero, sed primo modo acceptum; ipsum enim « est quaedam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae, in qua consistit ratio originalis iustitiae⁵ ».

III. HABITUS INNATUS — HABITUS INFUSUS — HABITUS AD-

na, et aegre mutabilia sunt, in habitum transeunt»; s. Damase., *Dialect.*, c. 51.

¹ Vid. s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. XLIX, a. 2 ad 3.

² Vid. litt. P. Cf s. Aug., *Qq. octoginta tres*, q. LXXIII.

³ 1^a 2^{ae}, q. XLIX, a. 4 c. et ad 3.

⁴ In lib. IV *Sent.*, Dist. IV, q. I, a. 1 sol.

⁵ 1^a 2^{ae}, q. LXXXII, a. 1 c.

QUISITUS. *Habitus innatus* est qui *incipit cum natura, et ab eius principiis ortum habet*: Huiusmodi est habitus, qui dici solet *intellectus principiorum*, nempe habitus, quo intellectus ad prima principia cognoscenda disponitur. Qui tamen habitus, monente s. Bonaventura, est innatus *respectu luminis directivi*, non autem *respectu speciei cognoscibilis*: « naturale enim habeo lumen, quod sufficit ad cognoscendum, quod parentes sunt honorandi, et quod proximi non sunt laedendi; non tamen habeo naturaliter mihi impressam speciem patris, vel speciem proximi¹ ». *Habitus adquisitus* est qui ex multiplicatis actibus humanis comparatur, ac proinde a libero arbitrio ortum habet. *Habitus infusus* est qui ortum habet a Deo, non a natura, nec a libero arbitrio². Ex habitibus infusis autem alii tales sunt natura sua, puta omnes habitus supernaturales, e. g., Fides, Spes, Charitas, utpote qui, cum excedant omnem naturae facultatem, nullis humanis actibus comparari possunt: alii tales sunt, ut licet vires humanas non excedant, tamen ex immediata Divina actione sine naturali principio acquiruntur, ita Deus Salomoni sapientiam; Apostolis scentiam linguarum indidit. Priores dicuntur infusi per se; posteriores per accidens.

IV. HABITUS — POTENTIA. *Habitus* differt a *potentia*. Nam 1^o quaevis potentia nobis a natura est insita; habitus autem, ut paulo ante diximus, non est naturalis, nisi secundum quamdam *inchoationem*, seu secundum quoddam naturale principium. Deinde habitus potest etiam tum naturaliter acquiri, tum, si supernaturalis sit, ad superiorum ordinem, ac potentia, pertinere. 2^o Potentia dat operari, ut intellectus dat intelligere; *habitus*, melius et promptius operari, ut Logica efficit ut melius et facilius intelligamus. « *Habitus* est, inquit s. Bonaventura, quo potentia facilis est in actum³ »; quocirea habitus dicitur *completere potentiam*, quia significat *aliquid potentiae superadditum*, quo perficitur ad suam *operationem*⁴. 3^o Ha-

¹ In lib. II *Sent.*, Dist. XXXIX, a. I, q. 2 resol.

² Vid. s. Bonav., In lib. IV *Sent.*, Dist. IV, p. 2, art. II, q. 2, resol.

³ In lib. I *Sent.*, Dist. III, p. 2, a. II, q. 1 ad arg.

⁴ Vid. s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. L, a. 2 ad 3, et Qq. disp., *De Ver.*, q. XX, a. 2 c.

bitus inest potentiae, non contra; ita scientia est in intellectu, non retro; unde, delecta *potentia*, perit *habitus*, non vice versa. 4º *Potentia*, cum sit qua aliquid simpliciter possumus operari, est indifferens ad bene, vel male operandum; e. g., voluntas est principium nedum honestae, sed etiam vitiosae actionis; *habitus* e contrario determinatur ad bene, vel male operandum, e. g., « intellectus est quo consideramus, scientia, qua bene consideramus; concupiscibilis, qua concupiscimus, temperantia, qua bene concupiscimus, intemperantia, qua male ¹ ». Unde « habitu virtutis nullus utitur male, et habitu malitia nullus bene ² ».

V. **HABITUS-PRIVATIO.** *Habitus*, prout opponitur *privatio*, significat *formam*, et *perfectionem*. Ita visus et caecitas opponuntur ut *habitus*, et *privatio*. Non autem omnis *privatio* immediate opponitur *habitui*; sunt enim quaedam *privations*, quae *mediate*³ tantum opponuntur *habitibus*, ita ut inter hos et illas aliquod medium existat, cuiusmodi sunt *sanitas*, et *aegritudo*⁴.

VI. **HIC ET NUNC-ABSOLUTE**⁵.

VII. **HYPOTHETICE-ABSOLUTE**⁶.

H EFFATA

I. **HABITUS EST ALTERA NATURA**¹. Id est secundum similitudinem et analogiam. Nam 1º quemadmodum natura ad unum determinatur, ita potentia rationalis, quae ad hoc, vel illo modo operandum indifferens est, per habitum ad suos actus simili modo exerendos non quidem cogitur, sed inclinat⁸; 2º quia tam *habitus*, quam natura sunt internum

¹ In lib. IV Sent., Dist. IV, q. 1, a. 1 sol.

² 3, q. LXIII, a. 2 Sed contr.

³ Quaenam sint opposita immediata, et media expicavimus p. 70-71.

⁴ Vid. *Privatio simplex-non simplex*, litt. P.—⁵ Vid. p. 3.

⁶ Vid. *Necessitas hypothetica-absoluta*, p. 3-4.

⁷ « Exterorum quidam consuetudinem secundam naturam vocant »;

s. Ioann. Chrysost., In Ep. ad Cor. Hom. VII, n. 7.

⁸ « Dispositio et natura sicut, et continua exercitatio »; Clem. Alex., Strom., lib. IV, n. 22.

operandi principium; eo tamen discriminare, ut natura sit internum *operandi principium*; *habitus* vero, cum praesumat naturam, qua non conspirante, evanesceret, et operari non posset, est *operandi principium*, quatenus reddit agens magis expeditum ad aliquos actus eliciendos. Advertendum insuper est dici etiam posse *habitum principium* *operandi principium*, quatenus opus est artificiosum, vel prudentia factum. Ita ars saltandi non est *primum principium*, per quod homo movetur; est tamen *primum*, per quod homo artificiose movetur.

II. **HABITUS ET DISPOSITIO IN EADEM POTENTIA HABENT FIERI.** Quod explicatur a s. Bonaventura hunc in modum: « Dicendum est, quod verum est de illa dispositione, quae est eiusdem naturae cum *habitu*, et de qua transit in *habitu*; sicut scientiae dispositio fit scientia *habitus*: de illa autem dispositione, quae est alterius generis, et dispositio solum per quamdam ordinationem, veritatem non habet; actus enim unius potentiae potest esse dispositio ad eliciendum actum alterius potentiae, sicut cognitio ad affectiōnem¹. Eamdem explicationem tradidit s. Thomas, ut ostenderet fidem non consistere in *affectiva*, etsi sit dispositio ad gloriam, quae est in *affectiva*: « Dicendum, quod in eodem esse dispositionem et *habitu* non est necesse, nisi quando dispositio fit *habitus*; sicut etiam patet in membris corporis, in quo ex dispositione unius membra relinquitur aliquis effectus in aliquo alio membro: et similiter in viribus animae, quia ex bona dispositione phantasiae sequitur perfectio cognitionis in intellectu² ».

III. **HABITUS GENERATUR EX ACTIBUS.** « Operando secundum virtutem, ad rem inquit s. Thomas, accipimus virtutes; sicut etiam contingit in artibus operativis, in quibus homines faciendo addiscunt ea quae oportet facere postquam didicerunt, sicut aedificando faciunt aedificatores, et citharizando citharistae; et similiter operando iusta, aut temperata, aut fortia, fiunt homines iusti, aut temperati, aut fortes³. Quocirca manifestum est hic sermonem praecepue fieri de *habitu*, quem supra diximus *operativum*, atque prorsus de *habitu acquisito*; *habitus* enim infusi et

¹ In lib. II Sent. Dist. XXIV, p. II, a. 3, q. 2 ad arg.

² Qq. dispp., *De Ver.*, q. XIV, a. 4 ad 5.

³ In lib. II Ethic., lect. I.

naturales sunt priores actibus¹. Ex actibus autem generatur habitus in agente, non prout est agens, siquidem agens, prout est agens, non potest in se, tamquam in subiecto, aliquam qualitatem recipere, sed prout ab alio movetur; quod enim ab alio movetur, et patitur, per eius actum ad aliquid disponitur; e. g., « ex multiplicatis actibus generatur in potentia appetitiva habitus virtutum moralium, quatenus illa a ratione movetur; et habitus scientiarum generantur in intellectu, prout hic a primis propositionibus movetur² ». Quoniam vero non modo actiones habitum pariunt, sed et ab ipso habitu profluent, effatum istud intelligendum est de illis actionibus, quae habitum praecedunt: ita ex frequenti et assidua contemplatione, longaque rerum observatione acquiritur scientia: non vero de illis actionibus, quae habitum sequuntur; qui enim scientiam adeptus est, rebus contemplandis iam aptus est. Quare ex actibus habitus iam acquisiti augetur quidem habitus *praeeexistens*, sed alius habitus non generatur, alioquin *multiplicarentur habitus in infinitum*³.

Ex his etiam illud intelligitur, habitum, ex cuius actibus adquisitus producitur, esse habitum naturale. Hinc yides habitus adquisitos sine naturalibus explicari non posse, ac proinde abnormem esse sententiam, qua non pauci ex nuperis philosophis omnes habitus esse adquisitos contendunt.

IV. HABITUS GENERATI SIGNUM EST DELECTATIO. « Philosophus in II Ethic. ponit signum habitus delectationem in opere existentem⁴. Facilitas enim agendi, quae per habitum comparatur, actionem *quasi connaturalem* efficit⁵; ac proinde *delectabilem*; nam *convenientia est delectationis*

¹ In lib. IV Sent., Dist. XXV, q. II, a. 1, sol. 2 c.

² Vid. s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 2 c.

³ Qq. disp., De Virtut., q. I, a. 10 ad 9. Ubi monet etiam de actibus habitus *infusi* idem dicendum esse; nam, ut alibi ait, « actus, qui procedunt ex habitu infuso, non causant aliquem habitum, sed confirmant habitum *praeeistentem*; sicut medicinalia remedia adhibita homini sano per naturam non causant aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborant »; 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 4 ad 3.

⁴ Qq. disp., De Virtut., q. I, a. 1 c.

⁵ Qq. disp., De Ver., q. XX, a. 2 c.

*causa*⁶; seu « delectatio ex convenientia causatur, sicut et in sensilibus patet, quod coniunctio convenientis facit delectationem⁷ ». E contrario, ille qui, e. g., habitum temperantiae non habet, non facit opus virtutis faciliter, et delectabiliter⁸.

V. HABITUS IDEM NON POTEST ESSE DUARUM POTENTIARUM. « Unus habitus, inquit s. Thomas, non potest esse nisi unius potentiae, sicut una forma nisi unius materiae, et unum accidens non est, nisi unius subiecti⁹ ». At vero, monente eodem sancto Doctore, « duarum potentiarum non potest esse unus habitus ex aequo; sed potest esse unius secundum quod ordinem habet ad aliam¹⁰ ». E. g., temperantiae habitus est in potentia superiori, quatenus *recte imperat, vel dirigit*, et etiam in appetitu concupiscibili, quatenus hic per habitum perficitur, ut *sine aliqua difficultate voluntati subdatur*¹¹. Itaque « dicendum quod aliquid esse in duobus contingit dupliciter. Uno modo sic quod ex aequo sit in utroque, et sic impossibile est unam virtutem esse in duabus potentias, quia diversitas potentiarum attenditur secundum generales conditiones obiectorum; diversitas autem habituum secundum speciales; unde ubicumque est diversitas potentiarum, est diversitas habituum, sed non convertitur. Alio modo potest esse aliquid in duobus, vel pluribus non ex aequo, sed in ordine quodam, et sic una virtus pertinere potest ad plures potentias, ita quod in una sit principaliter, et se extendat ad alias per modum diffusionis, vel per modum dispositionis, secundum quod una potentia movetur ab alia, et secundum quod una potentia accipit ab alia¹² ».

VI. HABITUUM DUORUM POTEST ESSE UNUS ACTUS. « Nihil prohibet, inquit s. Thomas, unum actum a diversis habitibus informari »; e. g., actus fidei informatus a charitate¹³. Item: « Contingit unum actum duorum vitiorum esse, dum actus unius vitii ad finem alterius vitii ordi-

¹ Qq. disp., De Virtut., loc. cit.

² In lib. II Sent., Dist. XXVII, q. I, a. 1 sol.

³ Qq. disp., De Ver., q. XIV, a. 4 c.

⁴ In lib. IV Sent., Dist. XIV, q. I, a. 3, sol. 1 c.

⁵ Qq. disp., De Ver., q. XIV, a. 4 ad 7.

⁶ Ibid. c.—7 1^a 2^{ae}, q. LVI, a. 2 c.

⁸ 2^a 2^{ae}, q. IV, a. 3 ad 1.

natur, ut cum quis furatur, ut fornicetur, actus quidem secundum speciem suam est avaritiae, secundum intentionem vero luxuria. Eodem autem modo et in virtutibus contingit, quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur, sicut cum quis dat sua, ut cum altero amicitiam habeat charitatis, actus quidem ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem charitatis¹. Quoniam vero in *actibus voluntatis id, quod est ex parte finis, est formale*², et « species cuiuslibet rei praecipue attenditur secundum rationem formalem eius, non autem secundum materiam, vel subiectum³ »; fit inde, « ut actus unius virtutis, vel vitii ordinatus ad finem alterius assumat speciem eius, sicut furtum, quod propter adulterium committitur, transit in speciem adulterii⁴ »; atque inde etiam fit, ut « idem specie actus, secundum quod ordinatur ad unum finem, cadat sub forma virtutis, et secundum quod ordinatur ad aliud finem, cadat sub forma vitii, ut patet de eo, qui dat eleemosynam vel propter Deum, vel propter inanem gloriam⁵ »; ita ut actus unus, non quidem unitate moris⁶, sed unitate naturae, possit esse bonus, et malus⁷.

VII. HABITUS EIUSDEM POSSUNT ESSE DIVERSI ACTUS. Scilicet, dummodo sub eadem ratione formaliter continentur; e. g., amor Dei, et odium peccati, quatenus opponitur bono Divino, specie distinguuntur, et tamen ab eodem habitu caritatis eliciuntur; siquidem, cum illi actus sub eadem ratione formaliter Divinae Bonitatis continentur, specifica illorum distinctio relata ad habitum caritatis prorsus materialiter se habet.

VIII. HABITU POTIOR EST ACTUS. Istud effatum, ut per se patet, pertinet ad habitum *operativum*; eiusque sensus est, actum *simpliciter* meliorem esse suo habitu; quod enim ordinatur in aliud velut in finem, est imperfectius eo ad quod ordinatur; habitus autem ordinatur in actum. Hanc rationem assignat s. Thomas, ubi ostendit actum bonum vel malum *praeeminere* habitui bono vel malo: « Habi-

¹ *Contra Gent.*, lib. III, c. 138.

² *Og. dispp.*, *De Virtut.*, q. II, a. 3 c.

³ *2^a 2^{ae}*, q. XCIX, a. 2 c.—⁴ *Ibid.*, q. CLIV, a. 10 c.

⁵ *Og. dispp.*, *De Virtut.*, loc. cit.

⁶ Cf p. 52. —⁷ *1^a 2^{ae}*, q. XX, a. 6 c.

tus non dicitur bonus, vel malus, nisi ex hoc, quod inclinat ad bonum, vel malum; unde propter bonitatem vel malitiam actus dicitur actus bonus, vel malus; et sic potior est actus in bonitate vel malitia, quam habitus, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis⁸. Attamen secundum quid habitus potior est actu, quatenus ille est isto diuturnior; siquidem « quod habitus sit diuturnior, quam actus, accidit ex eo, quod utrumque inventur in tali natura, quae non potest semper agere, et cuius actio est in motu transeunte. Unde simpliciter actus est potior tam in bonitate, quam in malitia, sed habitus est potior secundum quid⁹ ».

IX. HABITU UTIMUR CUM VOLUMUS¹⁰. Evidem habitus, secus ac forma in re naturali, non producit ex necessitate operationem sibi convenientem¹¹. Hinc potest unusquisque eligere, vel non illud, ad quod propendit per habitum, vel agere actum contrarium, vel actum non respondentem intensio habitus¹². Hinc habens habitum virtutis potest peccare, nam « natura potentiae per habitum non tollitur; potentiae autem rationalis natura est, ut ad unum cogi non possit; unde etiamsi virtute perficiatur, in ipsa erit agere, vel non agere, vel hoc, aut contrarium agere; et non oportet quod continue sequatur inclinatio virtutis; habet enim actus virtutis aliquid a potentia, ut scilicet ex necessitate non sit, et aliquid ab habitu, ut scilicet faciliter fiat¹³ ». Evidens est sermonem hic fieri de habitibus, qui imperio voluntatis subiacent. Admonere autem par est, habitu supernaturali nos uti non posse, nisi gratia actuali excitemur, sine qua nullum actum supernaturalem exercere valemus.

X. *Ad HABITUM A PRIVATIONE NON DATUR REGRESSUS*. Cum hoc pronuntiatur effatum, *habitus* significat *formam* vel *perfectionem*, cui, uti diximus¹⁴, *privatio aliqua op-*

¹ *1^a 2^{ae}*, q. LXXI, a. 3 c. *De hoc effato vid. litt. P.*

² *Ibid.* ad 1.

³ « Ipse est habitus, quo aliquid agitur, cum opus est, cum autem non agitur, potest agi, sed non opus est... Nec quisquam eis bene utitur, nisi qui et non uti potest »; s. Aug., *De bono coniugali*, c. 21, n. 25.

⁴ Cf p. 160.

⁵ Vid. s. Thom., *1^a 2^{ae}*, q. LII, a. 3 c., et q. LXXI, a. 4 c.

⁶ In lib. II Sent. Dist. XXVII, q. I, a. 1 ad 3.—⁷ P. 160.

ponitur; ideoque illius sensus est: Forma iam habita, et per privationem amissa recuperari non potest. Quod ut recte intelligatur, haec adnotanda sunt: 1º A privatione totali non datur *naturaliter* regressus ad eumdem *numero*, vel *specie* habitum. Hinc a morte ad vitam, a surditate ad auditum, a caecitate ad visum nulla *naturaliter* est conversio. *Naturaliter* inquimus, nam secus a privatione totali ad eumdem habitum regressus fieri potest. Ita Christus eumdem, *specie* saltem, visum caecis restituit; et eamdem *numero* animam in Lazari corpus redire iussit. 2º Si privatio sit *partialis*, *imperfecta* et *impropria*, ab ea ad eumdem *numero* habitum non redditur, sed ad eumdem *specie* potest *naturaliter* dari regressus. Huiusmodi enim privatio tantum actum impedit, aut ad tempus afferit; ideoque in subiecto relinquit habilitatem recuperandi habitum. Ita lippus curari potest, ut videat; surdaster, ut audiat, etc. 3º Denique, afferri non potest illud effatum contra illam, quam Theologi docent, operum *mortificationem* et *vivificationem*, nempe, « quae prius fuerant viva, quia ex charitate facta, et digna vita aeterna; postea, adveniente culpa, mortificantur »; siquidem haec opera *mortificata* possunt iterum per gratiam *vivificari*. Etenim, « aliud est vivificari, aliud recuperari. Recuperatio enim respicit esse; sed vivificari respicit ordinatum esse, sive ordinem, vel tale esse. Et quoniam, quod desinit esse, si iterum incipiat esse, non est idem numero, sed aliud; ideo habitus, si corrumpatur et amittatur, idem non recuperatur. Sed quia possibile est, quod idem manens idem habeat alium, et alium ordinem, secundum hoc attenditur vivificatio, et mortificatio in operibus¹ ».

I

DISTINCTIONES

I. IGNORANTIA—NESCENTIA—ERROR. *Ignorantia* ex hoc distinguitur a *nescientia*, quod haec tantum scientiae negationem significat; illa vero scientiae privationem, quatenus alicui deest scientia eorum, ad quae scienda natu-

¹ S. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XIV, p. 2, a. II, q. 3 ad arg.

raliter aptus est¹. Hinc in Angelis *nescientia* quidem aliquorum, non autem *ignorantia* admitti potest². Rursus *ignorantia* differt ab *errore*, « quia ignorantia de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum; sed error ponit iudicium rationis perversum de aliquo³ ».

II. IGNORANTIA ANTECEDENS—CONCOMITANS—CONSEQUENS. *Ignorantia*, prout est privatio cognitionis, quae expostulatur, ut actus sit voluntarius, distinguitur in *concomitantem*, *consequentem* et *antecedentem*. *Ignorantia concomitante* dicitur quis aliquid agere, cum « *scientia*, quae per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipsum »; nempe, cum quis ignorans quidem aliquid facit, idem tamen facturus, etiamsi nulla intercederet ignorantia, ut si quis vehementer cupiens inimicum de medio tollere, ipsum insperato occideret, putans se occidere *feram*. Haec *ignorantia*, inquit s. Thomas, « non facit involuntarium, ut Philosophus dicit, quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati; sed facit non voluntarium, quia non potest esse actu volitum quod ignoratum est ». Porro *concomitans* dicitur, quia « non inducit ad volendum ut hoc fiat, sed accidit simul esse aliquid factum, et ignoratum ». *Ignorantia antecedente* aliquid agitur, cum ratione ipsius ignorantiae agitur, quatenus haec ignorantia « causat actum, quem scientia opposita prohibebat; et ita talis actus, si scientia adesset, esset contrarius voluntati »; nempe involuntarius; « sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret, puta, cum aliquis diligentia adhibita, nesciens aliquem transire per viam, proicit sagittam, qua interficit transeuntem ». Dicitur *antecedens*, « quia antecedenter se habet ad actum voluntatis ». Denique *ignorantia consequente* aliquid agitur, quatenus ipsa ignorantia est voluntaria, vel « directe et per se, sicut cum aliquis sua sponte nescit, ut liberius peccet, et talis ignorantia videtur augere voluntarium, vel indirecte, seu per accidens, puta, cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem, vel cum quis vult

¹ 1^a 2^{ae}, q. LXXVI, a. 2 c.

² In lib. IV Sent., Dist. XLIX, q. II, a. 5 ad 8.

³ In lib. IV Sent., Dist. XXX, q. I, a. 1 ad 1.